
AD ILLVSTRISSIMVM VENETIARVM PRINCIPEM NICOLAVM PONTIVM.

Cæsaris Thoranæ Oratio.



Venetijs, Apud Ioannem Baptistam ab Hostio. 1578.



IOAN. TRIVISAN.

IVRIS VTR. DOC. VENET.

PATRIARCHAE AMPLISSIMO DALMATIAEQ. PRIMATI.

Cæsar Thorana. S. P. D.

EA semper fuit amicitiæ vis (Antistes amplißime) vt, cum, quæ difficillimè agere poſſumus, ab amicis rogamur, ſummo afficiamur dolore, ac, quo pacto illis obtemperare poſsimus, omni noſtro ſtudio quæramus. hinc factum fuit, vt cum quamplurimi, quibuſcum ſumma mihi eſt familiaritas, & quos mirificè diligo, quãdam me orationem ad Illuſtrißimum Principem Nicolaum Pontium habiturum intellexerint, eamq; vt edere vellem prçcibus obſecrauerint, maximis ſtatim iactari fluctibus cęperim; ſummus enim amor, ac beneuolẽtia, qua illos proſequor, eorum me voluntati morem ge

rere impellebat, ipsius vero orationis tum rerum, tum verborum tenuitas ne in lucem eam proferrem postulabat: Quid igitur consilij caperem consideranti, illud in mentem mihi venit, si eam alicui dicarem, cuius nomine muniretur, illis me obtemperare posse: Quod cum facere decreuerim, nonnullos prestantissimos animo cõtemplatus viros, te vnum reperij, & quem ipse prae ceteris valde obseruo, ac veneror, & cuius vite integritatem, animiq; virtutes admirãtur omnes. Quis enim oratorum eloquentissimus eas oratione enarare posset: Quas, ne quod fieri minime potest, aggredi videar, pretermittere satius esse duxi: Itaq; digneris (praeses nunquam satis laudate) hanc alacri animo, hilariq; facie humilem suscipere orationem, tuoq, nomine illustrare, vt quod per se acquirere nequit, per te adipiscatur, ea quoque signum sit maximae, qua te colo obseruantie: teq; certum redat, me, dum viuam, Deum Opt. Max. semper deprecaturum, vt, qui te in hoc saeculo huius ciuitatis animarum curae pastorem praeesse voluit, postquam charus omnibus diu vixeris, in altero sanctorum Patriarcharum caetui, quorum vestigia imitari studes, aggregari concedat.



VM nobis affectus adeo dominentur (Princeps Illustrissime, Vosquè Senatores gloria clari) vt ad ea, quæ difficillima videntur, peragenda homines sępius impellant: Et vere gaudentiũ sit, quicquid animo conceperint, reticere non posse, nemini vestrum mirum videri debet, si adhuc balbutiens, & qui uix primoribus labijs prima litterarum elementa attigi, quo propter huius Illustrissimi Principis electionem summo perfundor gaudio ductus, fereq; impulsus hanc dicendi prouinciam sumere non dubitaui. Fateor equidem, quæ singula oratoribus maximum semper iniecerunt timorem, ea mihi se se nunc obijcere vniuersa: audientium dignitatem, in quos cum oculos conijcio, totidem mihi Principes cernere videor: loci amplitudinem, quę omnibus semper fuit admirationi; ipsius materiam orationis, quam omnino arduam dicere oportet, cum & affectus nostri, & huius Illustrissimi Principis laudes verbis exprimi nequeant: ac denique dicentis faciundę, ac poliundę orationis ignorantiam, qui dicendi artem necdum adeptus sum. verumtamen cum animaduerto me apud eos dicturum, qui meæ non solum ętatis, sed nimiæ etiam, qua afficior, lętitiæ rationem habebunt, timorem omnem non solum depono, verumetiam tantum mihi animi accedit, vt cum me huc contulerim, pauca quędam de communi omnium gaudio, & de huius Principis laudibus dicturus, vestrum mihi silentium, beneuolentiam, attentionemq; pollicear.

Incredibile est (Princeps sapientissime) qua sint affecti omnes lętitia, & quibus exultauerint gaudijs, cũ uirtutes ipsas suis quasi manibus in hoc amplissimo dignitatis gradu te collocasse intellexerint. Quis enim ignorat quàmplurimas à cæteris principibus gratulandi tibi causa (id namq, coram facere minime poterant) missas litteras fuisse, de ijs autem omnibus; qui Veneti filij sunt dominij quid dicendum est? neminem illorum fuisse credo, quin sublatis in cœlum manib. omnium rerum moderatori Deo Opt. Max. singularibus verbis gratias egerit, qui horum collegio patrum eam dederit mentem, vt, quem in ista collocarent dignitate, te potissimum deligerent: Quæ enim singula aliquem Principatu reddere dignum possunt, in te reperiũtur omnia: Animi sapientia, Vitæ integritas, Reipubliceque amor. sed quoniam opus est, vt de tuis laudibus nonnulla dicantur, idque cum aliqua tua fieri molestia necesse est: Quemadmodum enim quisque sapien-

pientissimus est, sic laudes audire suas inuitus consueuit: hanc à te veniam supplex etiam, atque etiam peto, vt de tuis virtutibus, quæ toto orbe iampridem sparsa, ac disseminata sunt, ea me strictim, & modicè attingere patiaris: Hic autem si orationis vel a pandere, & per tuarum mare laudum decurrere instituam, vereor ne cum principium vel facillime reperero, ad finem peruenire non queam. nam quæ numerari potest vllo in genere virtus, quæ in te non maximè emineat? Mihi igitur (Princeps prudentissime, Patresque clarissimi) veniam tribuatis, si, quæ demonstrare incepero, imperfecte exposuero, ac totum per currere mare non posse præuidés, mutata velificatione ad terram accedere tentauero: vbi è portu egredior, ventis statim, ac tuæ summæ animi sapientiæ cum eloquentia coniunctæ fluctuum multitudine agitari me adeo sentio, vt & vela, & nauigandi artem iam mihi deesse fatear. Omnibus enim apertum est, te, cum ad eam, quæ studijs apta videtur perueneris ætatem, cunctis, quorum causa nonnulli studia omnino deserunt, commodis spretis, vt scientijs diu, noctuq; operã nauare posses, Patauium petijsse, vbi cum optime sapiẽtiam sine eloquentia, hácq. sine illa minime prodesse cognosceres, multum in vtriusque studio temporis magna cum animi tui delectatione consumpsisti: in eis vero quantum profeceris, id aperte declarat, quod adhuc iuuenis facillimum tibi fuit de illis duabus quæstionibus publice disceptare, Quicquid Aristoteles, Quicquid Auerroes scripserint, rectè eos scripsisse: quę disceptatio præter alias omnes, quas perspectas, & cognitas esse credo, in maximam, qui te audierunt, & hoc iure quidem, traduxit admirationem: eas profecto in studijs progressiones fecisti, vt Doctoris insignia summa tua cum laude consequutus fueris, quod cæteris ferè dignitatibus, & apud te præsertim præstat, & si quisq; vel eloquentia, vel Philosophia tantum præditus, maximas omnium consensu mereatur laudes, quæ reperiri possunt: quibus te, cum maximus, & orator, & Philosophus sis, ad cęlum efferre possimus? id profectò sapientissimo huic Senatui apertum fuit, qui Venetias redeunti, publicè tibi legendi munus imposuerunt, quod cum præclare obires, propè innumerabiles ad te audiendum studentes iuuenes veniebant, ac tuam miram in dicendo eloquentiam, summam in quæstionibus soluendis sapientiam admirabantur omnes. Hinc factum fuit, vt Senatus quamplurimas tibi legationes mandauerit: nam ad Carolum Quintum Imperatorem inuictissimum legatus missus fuisti, sępeq; ad summos Pontifices, & ad eum præcipuè Paulum tertium, qui tua perspectã tum eloquentia, tum etiam sapientia, equestri te dignitate decorauit. Sed quis modus

esset

esset, si quibus honorifice functus es, in singulis immorari dignitatibus, ac insistere vellem? tam latum, ac profundum mihi se se offerre mare tuarum video laudum, vt & vela commutare, &, quem cępi, minime tenere cursum cogar. Sed quoquo me verto, tui occasionem laudādi inuenio, quę enim lingua dicere audeat, qua semper fueris vitæ integritate? & cum id potius, quid diuinum quàm humanum sit, verbis exprimi fas esse non arbitror. hoc tantum mihi dicendum esse censeo, cum opus fuerit legatos deligere ad sacrosanctam Tridentinam Synodum, quod munus cum singularem industriam, diligentiam, fidem, animi magnitudinem, grauitatem, ac eloquentiam, tum maximam postulabat uitę integritatē, (ibi enim de summa Fidei, Religionisq; fundamentis agebatur) te ipsum præ cæteris elegerunt: Nam, quem ipsi ob eius vitæ sanctitatem præferretis (Patres illustrissimi) neminem iudicio vestro habuistis: quod munus hilari suscipiens animo, ad illum te contulisti sanctorum patrum cętum, vbi, qui interfuerunt maxima affecisti admiratione verborū, sententiarumq; grauitate, cum nō minus sapientissimè quàm sanctissimè de omnibus verba habueris. Quid de hoc plura? Regnorum omnium, ciuitatumq; gubernator Deus Opt. Max. ob eam, quę semper in te maxima fuit Religio, vsq; in hanc adseruauit ætatem, vt quæ vitę sanctitatem colentes decet viros, hac fruereris dignitate. Sed quibus, & quo vehor ventis? quàm profundum ingressus summare? illius vastitate ita perturbor, vt non vlterius progredi, sed terram tenere cupiam. in ea quoq; (Princeps Illustrissime) de tuis dicendi laudibus maxima mihi supeditat copia: Non enim me fugit, te hanc nostram omni laude dignissimam ciuitatem eo semper prosequutum fuisse amore, & beneuolentia, ac potius pietate, vt quam vita tibi charior fuerit: Namq; omnes norūt, quos adieris labores, quę subieris pericula, vt ei prodesses: Quoniam, cū patrię omnia nos debere animaduerteres, quicquid tibi pro illius honore, ac amplitudine à Senatu mandatum fuit, libenter semper confecisti: & quamuis multa inessent pericula, quib. mouentur ferè omnes, nullam vnquam tamen tibi difficultatem pertimescendam, nullum euitandum periculum putasti, dummodo Rempublicam tuam aliquo augere cōmodo posses. Nemo denique reperitur, qui ignoret, quanta assiduitate, & charitate miserrimis & calamitosissimis pestilētiæ temporibus patriæ tuæ, quàm plurimis, abeuntibus, præsto fueris, & quod omnium admiratione dignum profectò est, cum aliorum consuetudinem vitarent omnes, publicis quotidie interfuisti supplicationibus: Optime enim à Deo bona nobis esse omnia sciebas, & quid amplius? vitam ipsam, quod perfecti

signum

pientissimus est, sic laudes audire suas inuitus consueuit: hanc à te veniam supplex etiam, atque etiam peto, vt de tuis virtutibus, quæ toto orbe iampridem sparsa, ac disseminata sunt, ea me strictim, & modice attingere patiaris: Hic autem si orationis vel a pandere, & per tuarum mare laudum decurrere instituam, vereor ne cum principium vel facil lime reperero, ad finem peruenire non queam. nam quæ numerari potest vllo in genere virtus, quæ in te non maximè emineat ? Mihi igitur (Princeps prudentissime, Patresque clarissimi). veniam tribuatis, si, quæ demonstrare incepero, imperfecte exposuero, ac totum per currere mare non posse præuidēs, mutata velificatione ad terram accedere tentauero: vbi è portu egredior, ventis statim, ac tuæ summæ animi sapientiæ cum eloquentia coniunctæ fluctuum multitudine agitari me adeo sentio, vt & vela, & nauigandi artem iam mihi deesse fatear. Omnibus enim apertum est, te, cum ad eam, quæ studijs apta videtur perueneris ætatem, cunctis, quorum causa nonnulli studia omnino deserunt, commodis spretis, vt scientijs diu, noctuq; operā nauare posses, Patauium petijsse, vbi cum optime sapiētiam sine eloquentia, hācq. sine illa minime prodesse cognosceres, multum in vtriusque studio temporis magna cum animi tui delectatione consumpsisti: in eis vero quantum profeceris, id aperte declarat, quod adhuc iuuenis facillimum tibi fuit de illis duabus quæstionibus publice disceptare, Quicquid Aristoteles, Quicquid Auerroes scripserint, rectè eos scripsisse: quę disceptatio præter alias omnes, quas perspectas, & cognitas esse credo, in maximam, qui te audierunt, & hoc iure quidem, traduxit admirationem: eas profecto in studijs progressiones fecisti, vt Doctoris insignia summa tua cum laude consequutus fueris, quod cæteris ferè dignitatibus, & apud te præsertim præstat, & si quisq; vel eloquentia, vel Philosophia tantum præditus, maximas omnium consensu mereatur laudes, quæ reperiri possunt: quibus te, cum maximus, & orator, & Philosophus sis, ad cęlum efferre possimus? id profectò sapientissimo huic Senatui apertum fuit, qui Venetias redeunti, publicè tibi legendi munus imposuerunt, quod cum præclare obires, propè innumerabiles ad te audiendum studentes iuuenes veniebant, ac tuam miram in dicendo eloquentiam, summam in quæstionibus soluendis sapientiam admirabantur omnes. Hinc factum fuit, vt Senatus quamplurimas tibi legationes mandauerit: nam ad Carolum Quintum Imperatorem inuictissimum legatus missus fuisti, sępeq; ad summos Pontifices, & ad eum præcipuè Paulum tertium, qui tua perspecta tum eloquentia, tum etiam sapientia, equestri te dignitate decorauit. Sed quis modus

esset

eſset, ſi quibus honorifice functus es, in ſingulis immorari dignitatibus, ac inſiſtere vellem? tam latum, ac profundum mihi ſe ſe offerre mare tuarum video laudum, vt & vela commutare, &, quem cępi, minime tenere curſum cogar. Sed quoquo me verto, tui occaſionem laudādi inuenio, quę enim lingua dicere audeat, qua ſemper fueris vitæ integritate? & cum id potius, quid diuinum quàm humanum ſit, verbis exprimi fas eſse non arbitror. hoc tantum mihi dicendum eſse cenſeo; cum opus fuerit legatos deligere ad ſacroſanctam Tridentinam Synodum, quod munus cum ſingularem induſtriam, diligentiam, fidem, animi magnitudinem, grauitatem, ac eloquentiam, tum maximam poſtulabat uitę integritatē, (ibi enim de ſumma Fidei, Religionisq; fundamentis agebatur) te ipſum præ cæteris elegerunt: Nam, quem ipſi ob eius vitæ ſanctitatem præferretis (Patres illuſtriſſimi) neminem iudicio veſtro habuiſtis: quod munus hilari ſuſcipiens animo, ad illum te contuliſti ſanctorum patrum cętum, vbi, qui interfuerunt maxima affeciſti admiratione verborū, ſententiarumq; grauitate, cum nō minus ſapientiſsimè quàm ſanctiſsimè de omnibus verba habueris. Quid de hoc plura? Regnorum omnium, ciuitatumq; gubernator Deus Opt. Max. ob eam, quę ſemper in te maxima fuit Religio, vſq; in hanc adſeruauit ætatem, vt quæ vitę ſanctitatem colentes decet viros, hac frueretis dignitate. Sed quibus, & quo vehor ventis? quàm profundum ingreſsus ſum mare? illius vaſtitate ita perturbor, vt non vlterius progredi, ſed terram tenere cupiam. in ea quoq; (Princeps Illuſtriſſime) de tuis dicendi laudibus maxima mihi ſuppeditat copia: Non enim me fugit, te hanc noſtram omni laude digniſſimam ciuitatem eo ſemper proſequutum fuiſſe amore, & beneuolentia, ac potius pietate, vt quam vita tibi charior fuerit: Namq; omnes norūt, quos adieris labores, quę ſubieris pericula, vt ei prodeſſes: Quoniam, cū patrię omnia nos debere animaduerteres, quicquid tibi pro illius honore, ac amplitudine à Senatu mandatum fuit, libenter ſemper confeciſti: & quamuis multa ineſſent pericula, quib. mouentur ferè omnes, nullam vnquam tamen tibi difficultatem pertimeſcendam, nullum euitandum periculum putaſti, dummodo Rempublicam tuam aliquo augere cōmodo poſſes. Nemo denique reperitur, qui ignoret, quanta aſſiduitate, & charitate miſerrimis & calamitoſiſſimis peſtilētiæ temporibus patriæ tuæ, quàm plurimis, abeuntibus, præſto fueris, & quod omnium admiratione dignum profectò eſt, cum aliorum conſuetudinem vitarent omnes, publicis quotidie interfuiſti ſupplicationibus: Optime enim à Deo bona nobis eſſe omnia ſciebas, & quid amplius? vitam ipſam, quod perfecti

ſignum

gnum est amoris, pro ea posuisti. ò nimium erga Rempublicam tuam amorem, ò Pietatem omnibus seculis prædicandam, ò spectandam vitæ integritatem, ò summam animi sapientiam, ò nos ter, quaterq; beatos, quib. te Principem habere datum est: Gaude igitur, lætareq; (Princeps præstantissime) quoniam cum alijs, quæ maximę quidem sunt, potitus fueris dignitatibus, summus hic honor tuis summis meritis iampridem debitus, nunc tandem tibi omnium gaudio diuinitus delatus est, & eam consequutus es gloriam, quæ uix cœlo capi posse videtur: Illam enim nulla vnquam obscurabit vetustas, nulla delebit obliuio: Nam, quę tam ingratæ erunt litteræ, quæ de tuis cōticescant laudibus? sed etiam si omnes, qui vbiq; sunt eloquentissimi, communi studio ad eas celebrandas, quicquid habent in dicendo virium, conferrent, minimam quidem earum partem assequi possent. gaudeamus, lætemurq; omnes (Patres amplissimi, vosq; astantes) & vultu, occulis, manibus, voce, motu, gestuq; corporis quascunq; possumus gaudij significationes demus, fore sperantes: vt qui se per totam vitam omnibus maximis dignissimum honoribus præbuit, tantum dignitatis gradum pari virtute tueatur; Magna enim nobis, & illustria supeditant argumēta, cur ita credere debeamus: Hic profecto is erit, quem vocabant omnes: nos enim dicebamus, petimus opitulantem, vos verò (Patres amplissimi) nos sapientem, ex quorum primis verborum litteris in vnum redactis, Pons efficitur: Nam vere quidē & pauperibus opitulabitur, & omnia maxima reget sapientia, quiq; cum diu vixerit, charus suis, metuendus hostibus, vtrisq; venerandus, satur vitæ, satur gloriæ, moriens ad immortalitatem, ęternitatemq; fruendam se conferret. Dixi.

F I N I S.

W

